

cili creata facta; etiam nunc diriguntur & conservantur. Et certè, nisi præpotens ille, occulto quodammodo & immotâ ac ignotâ nobis serie omnia dirigeret; nihil in hoc mundo videretur sine varietate & distinctâ jucundâque rerum vicissitudine. Cogita quæso. Ab initio oppida & urbes struxit & ædificavit. Sua quæq; ætas etiam nisi dissidia & velut bella intervenissent; vix cepisset ea noster aut alter orbis. Cùm incerta bella orta & imperia unâ exorta; jure quidem vinculum quoddam est & legum jurisq; societas, quæ magna hæc corpora ligat efficitq; ut inter ævo dissitos communio sit præmiorum & pænarum. Illud enim ipsum est Imperium. Ut gubernator sine nave: auceps sine ave: contubernium sine clave; aut horum quicquam absq; altero; ita nec Imperium sine Rege; urbs sine Lege; Pastor sine grege, atque ut anima in corpore, mens in animo: ita & Imperium est generi humano multis maximè necessarium. Deniq; ubi domos ac mœnia struere ceperunt, & cœtus facere, & populariter vim inferre; ecce confluentia variarum gentium, undè communio, exindè consortio necessario inter eos exorta: quæ velut formam & faciem expressit novi status, quam deinde Rempub. appellarunt. Est itaq; mihi animo præfixum agere de mixtis quibusdam malis in Repub. neq; ut singulatim percenseam, & flore Orationis convestire coner (quod suscipere temerarium, & conficere frustraneum) sed ut aliquomodo puros pariter & pravos affectus delineem. Equidem & imparem me agnoscam huic oneri, adibo tamen & perferre audebo: hoc excusatius, quod non consilia aut decreta adfero, nec assero aliquid, sed pono. Antequam autem ad præsentem materiam me confero, ad te me converto Magf. Cl. V. quod apparere voluerit, Exc. habeo gratias maximas, unâ petens ( si ita com-